

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martis undecimo mensis Aprilis, Anno Domini M. DCC. LVIII.

M. NATALI-ANDREA-JOANNE-BAPTISTA CHESNEAU, Doctore Medico, Præside.

I.

An Mammarum Cancri ferro tutior, quàm causticis, ablatio?



AMMA, quasi mater altera, ab ubertate ubera. Mulierum mammæ, mulierum venustas, charæ culina prolis. Non malè describuntur partes in pectore fœmineo instar monticulorum eminentes ad humorem lacteum separandum, eumque nutriendæ prolis ergo elaborandum & conservandum destinatæ. Cùm mammarum hominis usus aut nullus sit, aut non satis notus, hinc in definitione illius mentionem nullam facimus. Illarum præstantior figura hemisphærica est, color albus, substantia consistens; sed notiora hæc, quid illis diutiùs immoramur? In illarum medio pars prominet teres, fungosa & variis circà extremitatem pertusa foraminibus, quibus lac erumpit, papilla dicitur. Tenuissimâ obducitur membranâ exquisito sensu donatâ propter innumeras nervorum propagines. Circulus papillæ circumjectus, areola dicitur; in virginibus pallida, in lactantibus fusca, in vetulis nigra. Interiorem mammarum compagem efformant glandulæ, pinguedo, vasa omnis generis & nervi. Glandulæ nihil aliud sunt quàm vasorum glomera, præsertim ex arteriarum extremis quibus lac, non secùs ac semen in testibus, elaboratur. Glandulas & vasa à se invicem distinguit interfusa pinguedo & molliter fovet. Infinitis arteriis, venisque perfusa est hæc pars, quas mammarias vocant; externæ ab axillaribus prodeunt, internæ à subclaviis. Ab uno quoque fas-

ciculo ſinguli exoriuntur ductus galactophori ſecreto lacti recipiendo deſtinati, qui verſùs papillam progrediendo coeunt in ductus majores qui intermediis tubulis inter ſe conjunguntur, ut obſtructo uno in alium tranſire valeat, ne corrumpatur morâ. Adeſſe vaſa quibus e ductu thoracico ad mammas immediatè chylus ducatur, commentum eſt. Fefellerunt quoſdam Anatomicos lymphatici ductûs non chylo ferendo, ſed lymphæ ad ductum thoracicum deferendæ nati. *(a)* Nervos præcipuè à coſtalibus habet pars illa quorum ope cum magnis ſympathicis communicat. Ex hac brevi expoſitione facilè concludi poteſt hancce partem ferè totam eſſe tubulo-vaſculoſam. Inter multa mala quibus obnoxiæ ſunt mammæ, quæque chirurgico indigent auxilio, nullum cancro crudelius, nullum immane magis, magiſvè horrendum reperies. Cùm verò illius ſanandi plures ſint methodi, hæc eligenda venit quâ citiùs, tutiùs & minùs injucundè curatur.

(a) Winſlow, exp. Anat. tom. IV.

I I.

CARCINOMA Græcis, Latinis cancer à ſimilitudine, eſt tumor durus, rotundus, inæqualis, lividi aut plumbei coloris, plurimis vaſis circùmductus, præſertim venis turgidis, varicoſis quæ quaſi recurvantur, pallent aut livent. Cùm cancri aquatilis diductos pedes quodammodò referat, huic cancri nomen, vel ut aliis placet, quod difficillimè ab iis quas ſemel obſederit, partibus avellatur non ſecùs ac cancer aquaticus, animal notum. His primùm innoteſcit ſignis: circà partis affectæ locum in dies aliqua quaſi puncta ſentiuntur; primò ad ciceris formam exiguus tumor adeſt, cum dolore & calore, vel ſine iis, temporis tractu creſcit ad fabæ vel nucis juglandis magnitudinem, mox majorem in molem ſeſe attollit, tuncque doloribus acerbis ægram torquet miſeram, vehementi calore excruciat & adurit, quaſi aquâ Stygiâ irroraretur pars affecta, undè cutis & caro lancinantur & exeduntur; demùm cute exeſâ, ulcus ſe prodit viſu horrendum, inæquale, labiis fungoſâ carne tumidis, præduris & inverſis. Ex eo non pus, non ſanies, ſed ſeroſa illuvies ſeu mephytis teterrima, peſtilentiſſimaque exit odoris intolerabilis nauſeam non ægræ tantùm, ſed & aſtantibus moventis. Cancer in occultum ſeu non ulceratum & apertum ſeu ulceratum dividitur. Sedes cancri, omnis glandula præſertim quæ liquorem faciliùs inſpiſſandum habet, vel ratione loci ſtagnare magis cogit; hinc in oculis, naribus, ore, axillis, inguinibus, pancreate, meſenterio, utero, ſæpiùs in mammis illum reperies. In diverſis partibus diverſa ſortitur nomina. Cauſas habet externas vel internas. Externæ ſunt compreſſio, ictus, topica aliis tumoribus præpoſterè applicata. Internæ ſunt lochia ſuppreſſa, naturales evacuationes ſuppreſſæ, artificiales neglectæ, undè nimia vaſorum ingurgitatio, ex quâ ſanguinis & lymphæ ſtaſes, galactophororum ductuum infarctus, inflammatio, lymphaticorum compreſſio: undè lympha moratur, tenuior pars avolat & diſſipatur, indurata, concretaque remanet, lymphæ ipſius craſſitudo, viſcoſitas, acredo, aër vitiatus, alimenta pravæ indolis, liquores acidi, acres, ipſa animi pathemata anſam præbent carcinomati, non rarò delicta parentum puer immeritus luit. Infelices ſanè mulieres tali monſtro depaſtæ, longè infeliciores quibus illo interiora corripiuntur; in his enim carcinoma nullam admittit perfectam curationem, ſed tantùm prophylacticam & palliativam; in illis ſi operationi adhuc locus ſit, ad eam fortiter te accingas quâ citò curetur, ne vires acquirat eundo; tutò naves operam, ne in vitium ducat culpæ fuga; jucundè fer opem, ne malum malo addas, & diris laniatam, dirioribus adhuc dilanies doloribus.

I I I.

QUANDONAM ſuſcipi debeat operatio, quando non, diſputent qui illam omninò *(b)* reſpuunt & qui eam in certis caſibus admittunt. Nos eam plures ægrotantes ab orco revocaſſe multorum melioris notæ in arte medicâ Magiſtro-

(b) Vid. præclar. Theſes DD. Seron & Rencaume, quarum altera negat, affirmat altera.

rum auctoritate, ratione seu morbi naturâ, experientiâ tandem edocti aptiorem illius conficiendæ modum inquirimus. Ad huncce morbum debellandum, triplex armorum genus in usum vocatum fuit, ferrum scilicet, caustica & ignis. At propter crudelitatem & infaustos eventus, jamdiù obsolevit ignis usus. Cur non eâdem ratione caustica ablegantur? In hoc totius negotii cardo vertitur, ut tantùm cutis, si sit intacta, servetur, quantùm fieri potest; ut musculi pectorales integri remaneant, ut quælibet glandula morbo affecta extirpetur; verbo ne partes sanæ frustrà auferantur, morbosæ remaneant. Porrò quis talem provinciam causticis demandaverit? Neque quis dicat, cùm mitiora sint & validiora, hæc aut illa pro morbi gravitate esse eligenda. Quis enim caustici naturam sic calluerit, ut ejus effectus ad arbitrium moderari valeat? Si mitiora, muneri proposito fient imparia; si corrosiva nimìs, quantas strages edent? Effrænum causticum & exlex habenis nullis refrænatur. Quæcumque illi fiunt obviæ partes, sivè sontes sint sivè insontes indiscriminatim adurit. Præterea cùm in variis subjectis partes magis minùsve resistant, magis minùsve humoribus irrorentur; hinc caustici vis augetur aut imminuitur; hinc circà medicamenti vim, naturam, futuros eventus nihil habetur certi. Quid de nefandis referam doloribus? Dicant ipsæ, si quæ supersint, quæ tàm immania perpessæ fuerint mala. Videas miserrimas mulieres integrum diem, quin & plures dies immanissimè cruciari, jactari, ejulare. Sed aliorum dolores floccifaciat doloris expers carnifex: quis illorum effectus non perhorruerit? Quid non mali producere potest nimius, nimiúmque protractus dolor? (c) Necessario dolori naturæ vires sæpè sufficiunt, illum prævidet ægrotans, ad illum forti animo ferendum sese paratum præstat. Tela prævisa minùs feriunt; verùm succumbunt inutili. Præterea longus dolor vigilias, vigiliæ perturbatos humorum motus, hi phlegmonas, phlegmones convulsionem pariunt, convulsionem non raró mors excipit. Verùm quantumvis timendi sint recensiti causticorum effectus multò adhuc perniciosiores quæ sequuntur. Plurima medicamenta externè admota vires suas intùs exerunt. Cicuta diutiùs suprà regionem cordis gestata syncopen atque cardialgiam intulisse narratur ab auctoribus gravissimis. Cantharides cuti appositæ renum & vesicæ dilacerationes procreare, mictus sanguineos excitare nemo non fatebitur. Quorsùm autem hæc? ut intelligatur quantas strages productura sint caustica, si semel massæ sanguineæ immisceantur. Quomodo autem non immiscerentur, si parti vasis innumeris conflatæ comburendæ imprudenti consilio admoverentur. Nonnè totam corporis œconomiam tetris miasmatis brevi perverterent?

(c) M. Feret, des Moyens de former de parfaits Chirurgiens, pag. 10.

IV.

ABLEGATO semel causticorum usu, restat operatio Chirurgica ferro conficienda, ad quam tanquam ad sacram anchoram sit confugiendum. Nam superba nimis specificorum nomina experientiæ minùs consona putes. Parce quoque subdolis agyrtarum circulatorumque promissis fidere; nihil enim dignum tanto proferunt hi promissores hiatu. Si igitur nihil contrà indicet; si spes salutis affulgeat, jam macte animo, ad operationem te fortiter accingas. Verùm antequàm manum admoveas operi, præmittantur præmittenda. Depletis vasis liberè fluat sanguis, inspissati diluantur liquores, redundantes evacuentur humores, devii ad normam naturæ dirigantur, suppressæ restituantur evacuationes, insuetæ sistantur. Hisce indicationibus satisfaciendum victu humido & tenui, sanguinis missione, lenientibus, diluentibus, absorbentibus & catharticis: hisce præmissis operationem pro votis cessuram non temerè prænunciabis, modò sequentes sese non præbeant contra-indicationes. Congenitus non sit cancrosus humor. Vires operationi sufficiant. Pectorali musculo tumor non adhæreat immobilis. Tumor alius cancrosus penitioribus in partibus non adsit. Eodem veneno tumentes glandulæ ad axillaria vasa non apponantur. Quibus ritè perpensis susceptum opus, nempè exci-

ſionem mammæ, cum fiduciâ aggredere. Si adſit tantùm glandula quædam cancrum genitura, tùm unâ ſectione in longum aut duabus ad ſe invicem perpendicularibus vulgò in T facile amovetur. Sed hæc minoris momenti. Verùm ſi eò devenerit mali gravitas ut tota auferenda ſit mamma, ſic opus conficiendum : in convenienti ſitu à miniſtris ægra contineatur, brachium affecti lateris attollatur, ut & tumor magis emineat & muſculis pectoralis tendatur, tùm manu ſiniſtrâ apprehenſus tumor ad radices ſecetur; ſi quæ ſuperſit glandula ingurgitata, aut pars alia vitiata deſtruatur & abripiatur. Procul hinc fila curvorum acuum ope cruciatim ad anſam efformandam inducta. Procul uncini in cancrum injecti ut tumor apprehendatur & attrahatur; hæc enim doloris multum, utilitatis nihil important. Tùm ligatis majoribus vaſis linteo carpto minora continentur, abſumitur ſuperflua humiditas. Adduntur complicata lintea, faſciiſque circùm pectus convolutis & ſplenio ſcapulari vocitato totus apparatus continetur & firmatur.

V.

PERPENSIS itaquè quæ ex parte cauſticorum imminent periculis, quorum immunis eſt operatio ferri ope confecta, quis jam illa non perhorruerit, hanc verò non eligat? Hæmorrhagiam times? At ſæpè nulla eſt inſignis; & ſi quæ ſit, facilè compeſcitur. Ligatis enim majoribus vaſis linamento ſolo ſiſtitur, ſi quis ſuperſit, fluxus ſanguinis. Cæterùm nonnè eodem, imò majori periculo obnoxius eſt cauſticorum uſus? Eſchara quidem ab iis inducta omnes vaſorum hiatus occludit; at eâdem decidente, nonnè rursùs dehiſcunt vaſa? Hinc obſolevit ferro candenti ſanguinem cohibendi conſuetudo : pari ratione cauſticorum uſus obſoleſcat neceſſe eſt. Paucis minutis ferro peragitur operatio; admotis e contrà cauſticis diem integrum, imò diutiùs cruciantur ægrotantes; ergò *citiùs* opus perficitur. Ferrum dirigit oculus ne longiùs, quàm par eſt, vagetur, nevè quid labefactatum relinquat intactum; cauſticum effrænum & exlex nullis regulis ſubigitur; ſi mitiùs, muneri propoſitio impar evadit; ſi fortiùs, vix ac ne vix quidem coercetur. Ergo *tutiùs.* Dolor eò crudelior eſt, quò longior, multò autem longior à cauſticis evadit, aliundè multis obnoxia ſunt periculis : ergò *minùs injucundè.* Hanc igitur operationem citiùs, tutiùs & minùs injucundè ferro quàm cauſticis perficies.

Ergò Mammarum Cancri ferro tutior, quàm cauſticis, ablatio.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Paſchaſius Borie.	*M. Franciſcus Bidault, Rei herbariæ Profeſſor deſignatus.*	*M. Hyacinthus-Theodorus Baron, Antiquus Facultatis Decanus, necnon Caſtrorum Regis & Exercituum in Germaniâ & in Italiâ Proto-Medicus, & utriuſque Pharmaciæ Profeſſor.*
M. Florentius-Carolus Bellot, Profeſſor Regius.	*M. Joannes-Claudius Munier, Conſiliarius Medicus Regis ordinarius & Domûs Regiæ Invalidorum.*	*M. Ludovicus-Maria Pouſſe, Eques & Cenſor Regius.*
M. Ludovicus Pathiot.	*M. Ludovicus-Renatus Marteau.*	*M. Antonius Caſamajor, Cenſor Regius.*

Proponebat Pariſiis MAXIMILIANUS-JOSEPHUS LEŸS, Audomarinus, Saluberrimæ Facultatis Pariſienſis Baccalaureus,
A. R. S. H. 1758,
A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Med. Typographi, 1758.